



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De labore manuum eius pro communi bono. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

Eis , tenuit etiam ipse in coquina vicem suam pro posse . Cui quidam ex vicinis compassione motus , dixit : Cur bone domine versaris in coquin ? Non habes aliquem , qui pro te istud faciat ? Nonne melius esset , quod tu ires ad ecclesiam , & alias coqueret pro te ? Respondit humilis minister Christi Florentius , dicens : Nōnne magis affectare debeo , quod habeam omnium aliorum orationes , quām solummodo meas ? Dum enim ego sum in coquina , omnes alij interim tenentur orare pro me . Maiorem ergo fructum spero consequi de orationibus aliorum , qui sunt in ecclesia , quam si ego solus orarem . Sic ergo tam verbo quām exēplo edificauit vniuersos : non querens quod sibi esset delectabile , sed alijs vtile & exemplare . Quoties autem cum fratribus comedebat , primum ferculum manibus suis eis apposuit , & de hoc plurimum doluit , quia infirmitate cogente refectioni fratrum quotidie interesse non potuit . Quapropter scorsum in coquina cum coco suo solus edebat , habens mensam paruam sobrie pararam : quia solidum cibum , debilitas stomachi non sufferebat . Ego licet indignus ab ipso sēpē inuitatus , mensam eius paraui , & modicum quod perebat de cellario attuli , gaudensque cum multa hilaritate ei ministravi .

C A P V T XIV.

De labore manuum eius pro communi bono.

Optimus in moribus digneque memorandus , inter omnes deuotos deuotissimus Florentius , nunquam ociosus voluit inueniri : sed preciolum tempus fructuose nisus est expendere : cauens omnimodo , quamuis beneficiarius esset , panem suum gratis & absque labore manducare . Quod à venerabili magistro Gerardo didicit & accepit , hoc diligenter obseruavit : cuius lenientia fuit , ut nemo ad congregationem suscipi deberet , nisi secundum beati Pauli dictum manibus laborare vellet . Est namque operatio sancta , ad omnem spiritualem profectum utilissima : per quam carnis lasciuia domatur , & ab euagandi levitate mens dissoluta citius refrenatur . Per hanc ocia nocua tolluntur , & confabulationes friuolae ex otio surgentes , faciliter decurtantur . Occasionē enim loquendi sublata , labor proficiet in manibus : & erit semper dicitur in bonis , qui fuerit operarius fidelis . Per hanc etiam necessitatibus fratrum sapienter prouidetur , & pauperum miserijs copiosius subuenitur . Nam illa elemosyna gratius Deo placet , & clarus lucet , quæ de vultus sudore procedit . & iusto labore qualita reficit indigentes . Igitur ars scribendi libros , quæ clericis melius conuenit , & quietius exerce-

1. Cor. 4.

exerceri potest; à fratribus domus eius est matruis arrepta, & pro communi bono seruando visitatus introducta. Ipse vero venerandus Pater Florentius, ne vacuum nomen gereret rectoris, sed in exhibitione operis officium sacerdotale commendaret, dedit scriptoribus exemplum clarum, membranas pumicando, quaterniones lineando, & componendo. Quia licet minus bene scribere sciret, in preparando tamen alijs necessaria, quam plurimum scriptores adiuvit manu sua, oleo sancto consecrata.

2. Interdum cùm opus esset, & tempus vacareret, assumpto socio libros iam scriptos perlegit & correxit; aut de scripturis sanctis aliqua deuota notabilia, ad consolationem fratrum & exercitationem internorum compilauit. Multum namque gauisus est & delectatus, cùm pro communia quid utilitatis per diem fecisset, sciens hoc Deo gratissimum fore. Verum multitudine clericorum ad eum confluente, cùm fama bonitatis eius longius resonaret, requisitus est à multis extraneis, & religiosis viris, & literatis. Idcirco pro animarum salute altioribus negotiis oportebat eum intendere, & à priuatis actionibus & internis studiis frequenter abstinere, & spiritualia lucra temporalibus commodis anteferre.

3. Totque consultandi causa ante cameram eius quandoque steterunt cupientes ei loqui, aut abscondita sua tanquam viro sancto confiteri; ut vix ei transitus excandi pateret, vix tempus pro horis dicendis & necessitatibus corporis soluendis opportunè superesset. Neminem tamen inconsolatum reliquit; sed vel incontinenti expediuit, aut altera vice liberum ad se redditum secundum conditum pertentis concessit. Contigit aliquoties, ut horas suas legere inciperet, & superuenientibus aliis & aliis per quam multis, non posset finire Psalmum, quem inchoaret. Ne ergo radio affectus desisteret aperire pulsanti, ait ad semetipsū: Adhuc semel proprie Deum; sicque semel iteravit sèpe, & siebat longum, vincens molestiam & inquietudinem aliorum in patientia ex charitate fraterna.

CAPUT XV.

*De misericordia eius in pauperes, & agrotos;
atque ignotos.*

1. **V**irtus quoque misericordiae in corde pīj patris, inter alia pietatis opera praecepit floruit & excrescit; quam frequenti eleemosynarum largitione in pauperes & peregrinos ostendit & implevit. Vnde merito de ipso dici debet, quod de iusto

